

**ART 1.** saltem ob duas illas causas, jam enumeratas, Filium λόγον appellari.

88. Primùm enim constat non tùm demùm Filium cepisse esse λόγον, sed fuisse ab omni æternitate. Ioh. 1, 1. In principio erat Verbum. Ergò non respectu creationis duntaxat, & externi officij Filius DEI in scripturis nominabitur λόγος.

89. Deinde idem Evangelista demonstrat, λόγον ab æterno fuisse apud DEVM, imò fuisse DEVM, Ergò respectu DEI λόγον appellare, & conversationem illam, qualiscunque tandem sit, inter Patrem & Filium exprimere, adeoque haud obscure ad æternam ejus generationem, digitum quasi intendere voluisse, videtur Evangelista.

90. Huc accedit quòd Iohannes totus eo loci est in demonstranda divinitate Filij, contra Ebionis & Cerinthi præstigias: Haud ergò probabile, ipsum usum esse argumento, petito à nomine officij & temporario.

91. Neque locum habere potest, quod fortè quis objiciat, Filium DEI dici λόγον, ratione decreti, jam indè ab ultima æternitate in sacrosancta Triade facti, quòd videlicet aliquando debeat λόγος fieri, respectu & creaturarum, & externi officij.

92. Consequens enim foret, 1. Filium DEI non propriè esse λόγον, sed κατ' ἀνθρώποπλάθειαν. 2. λόγον, ut λόγον, non esse secundam Divini-

tatis